

1571 *mala sanari ope posse, quam si unanimi consensu, ac conatu hostis invaderetur; praelio fortiter, feliciterque inito, & in posterum securitas christianæ reipublicæ pararetur, & Cyprus ex ejus manibus eriperetur. His Pii animus vehementer commovebatur; quippe qui & vicem Reipublicæ doleret, & in dies sese sustollentibus hostium ausis angeretur. Quapropter omnem operam, ac studium Venetis polliceri, Joannem Austriacum crebris nuntiis urgere, nihil prætermittere, quod communibus rebus profuturum intelligeret.*

*Alexandri-
ni Cardina-
lis cum
Philippo
Rege offi-
cium.*

Sub id quoque tempus Michael Cardinalis Alexandrinus in Hispaniam pervenerat, perhonorificeque Madriti exceptus, Pii litteras gravi atque accurata oratione subsecutus, *Nibil antiquius Pontifici, inquit, quam ut percussum Dei Optimi Maximi beneficio fœdus corroboraret, ut non nomine tenus, sed re ipsa hostibus formidandum evaderet: Regem proinde rogare, ut in re tam præclara, atque eximia, qua nulla vel ad christianam rempublicam augendam, vel ad sui nominis famam propagandam illustrior objici posset, omnes curas, cogitationesque defigeret: cuncta sane sibi ab eo Rege Pium polliceri, qui pietate a majoribus, tanquam per manus tradita insignis, Catholici titulo fulgeret: quem licet per se ad gloriæ cursum incitatum, nullis adhortationis stimulis egere, optime nosset; attamen sui muneris censuisse, quæ christianæ reipublicæ hoc tempore necessaria forent, cum eo communica-
ret; quod sane officii genus si præsentī obire liceret, nihil in omni vita optatius, nihil ei jucundius accidere posset: sed cum ætate ingravescente, ac senio, minime id illi permitte-
retur, quem ex sorore nepotem veluti filii loco haberet, potissi-
mum ad eum destinasse, ex quo intimos sensus, atque consilia ad unicum reipublicæ ac religionis decus spectantia pernosce-
ret. Ad ea Philippus respondit: Egregio semper se in rem-
publicam christianam animo extitisse, ictoque fœderi nulla in re defuturum: Joannem Austriacum cum classe in Sicilia hyemare jussisse, ut vere insequenti ad ea, quæ Romæ decer-
nerentur, perficienda promptior atque expeditior esset: interim non studium, non operam, ut Maximilianum ad societa-
tem ineundam impellat, prætermisurum; idque cum antea sæ-
pius per litteras egerit; modo per Petrum Fasciardum, quem in
Germa-*

*Philippi
Regis re-
sponsum.*